



24

1769, 14.

SPECIMEN

CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM

A N

CHIROGRAPHVM CAN-
CELLATVM

INDUCAT

DEBITI REMISSIONEM

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAE S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVSEVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XX. MARTII ANNO CICIOCLXVIII.

PVBLICE DEFENDET

CHRISTIANVS GOTTLIEB HVHN

GRIMMENS.

LIPSIAE

LITERIS RVM PFIIS.





A N
**CHIROGRAPHVM CAN-
CELLATVM
INDVCAT.
DEBITI REMISSIONEM.**



§. I.

Scripturam illam, qua quis alteri ex causa aliqua iusta debere quid fatetur subscripto suo tanquam debitoris nomine chirographum dici et obligationem vnilateralem agnoscere fundamentum, satis notum est. Duplex vero chirographi dos est: vel enim

A 2

nomi-

nomine subscripto inuoluit confessionem contractae obligationis, sive est *documentum probans*, vel, si tempus praeterlapsum, intra quod ex Iure Iustinianeo non numeratae pecuniae exceptio valide opponi poterat, producebat obligationem, sive est *documentum obligans*. Posteriori ratione conficitur *contractus chirographarius*. Hinc mirandum non est, quod ciuale ius requirat *causam debendi specialem* expressam in chirographo, quippe in se chirographum tantum probat contractam obligationem aliquam, non vero sua natura obligat. At vero, si biennium elapsum, quod Iustinianus dedit exceptioni non numeratae pecuniae, intra quod opposita illa onus numerationem factam probandi deuoliebat in auctorem, cum in poenam negligentiae, quod dans chirographum non accepta pecunia haud repetiisset, pure pro obligato habebatur, ad causam obligationis amplius non resciendum erat, sed confessio in chirographo facta nominis subscriptione confirmato loco causae obligandi erat, et ab eo simpliciter chirographum obligabat. Hinc forsitan venit, ut Iure Sacheno-Electorali concedatur nihilominus ex illo agere chirographo, in quo specialis debendi causa expressa non erat, pro ut est in APPEND. ORDIN. RECOGN. §. V. quippe in instituenda actione executiva sufficere videbatur pro-

ba-

bli-
rae-
atae
ob-
ra-
ran-
spe-
gra-
am,
ela-
atae
hem
ne-
secu-
cau-
con-
fir-
chi-
axo-
chi-
erat,
ui-
pro-
ba-

batio debiti; quae ex chirographo haberi poterat, cum praeterea ipsa debendi causa in nominis subscriptione adesse videretur. Non ergo exacte distinguere mihi videatur Jus Saxonum chirographum instrumentum probans a chirographo instrumento obligante.

§. II.

Cum itaque chirographi haec vis sit, ut prober debitum contractum, creditorque agens contra debitorem eo rete vtatur, enata est quaestio: *an redditio chirographo debitum ipsum remissum censeatur.* Negant nonnulli, argumento ducto a pignore, quippe reddito pignore remissum quidem pignoris ius censemur, non vero ipsum debitum. Concludunt inde remissam esse forsitan probationem petendam ex chirographo, haud vero ipsum debitum. Sed verior videntur contraria sententia. Cum enim et chirographo vis insit obligandi reddito chirographo, redditum quoque est id, per quod obligatio inducitur. Dein prouocant ad P A V L U M in L. 2. §. 1. ff. de pac*t*. qui scribit: *Et ideo si debitori meo reddiderim cautionem, v*er* detur inter nos conuenisse, ne pe- terem: profuturamque ei conuentionis exceptionem placuit.* Videtur enim creditor accepto chirographo, quo suum si bi competens ius probare possit, securus redditus, et hinc chirographum sub cautione intelligi poterit, quam er-



go si redditum creditor tacite pactus videtur de non petendo debito, et si forsitan nihilominus petat debitum, cuius chirographum reddiderat, reo debitori in promptu erit exceptio taciti pacti de non petendo, quod pactum tacitum ex chirographi redditione concluditur.

§. III.

At vero, quid? si cancellatum deprehendatur chirographum, an et ex cancellatione illa facta debiti remissio praesumenda, ambigua quaestio est. Alii adfirmant, negant alii, pro ut sibi causam fingunt. Distinctius hanc causam tractabimus. Aut enim chirographum apud creditorem est, aut illud debitor possidet. Si debitor chirographum cancellatum teneat, adfirmant, induci eo debiti remissionem, sed debitori simul incumbere probationem, redditum sibi esse chirographum a creditore. Sed licet mihi dubium aliquod mouere huicque opinioni obiicere. Datur chirographum creditor in securitatem sui debiti. Est ergo creditoris officium, ut custodiendo chirographum sibi prospiciat. Quod si ergo desit possidere, vel sua culpa amisi, vel ablatum ipsi esse debet. Putarem itaque, potius creditoris tunc esse officium probandi, vel amississe se chirographum idque ab alio intentum in manus debitoris venisse, vel sibi illud ablatum esse. Praeterea

cum

cum soluto debito reddendum sit chirographum, arbitror, praesumptionem potius esse pro debitore, quod iuste possideat chirographum, maximeque ipsi succurrere praesumptionem alteram, qua quilibet bonus praesumitur, donec probetur contrarium.

§. IV.

Si vero debitor confideatur, sibi redditum chirographum a creditore atque remissum esse debitum, cum hoc casu praesumpta solutio cesset, propter quam redditum chirographum, tunc cedo probandam esse redditionem chirographi, quia, si agat creditor, debitorque remissione se tueatur, haec remissio probari poterit ex redditione chirographi, quamque si probauerit, non opus est, ut quaeramus, a quo cancellatio facta sit. Perinde tunc est, an creditor autor sit cancellationis, an debitor, quia etiam non cancellati chirographi redditio inducit remissionem, nisi creditor prober replica, redditum quidem chirographum, sed non animo remittendi debiti. Fac, Titio, qui centum debebat, me reddidisse chirographum ut subscribat, se praeter haec centum adhuc quinquaginta mutuo a me accepisse. Titius, cancellatione facta, non reddit chirographum: dubium non est, si probauerit replicam cre-

ditor,



ditor, nihil prodeesse debitori, licet probauerit, redditum sibi esse chirographum a creditore,

§. V.

Contra vero, si ipse adhuc creditor possidet chirographum idque cancellatum, qui ex illo postea acturus sit, certum est, eum actione repelliri, quippe documentum cancellatum ad causam probandam nihil praestare potest. Reute ergo ex cancellatione tunc inducitur debiti remissio. Sed sicut praesumptio tantum est, ita creditor negari nequit, si remissionem factam non esse probare velit, adhuc contra debitorem agere posse. Autor mihi est MODESTINVS in L. 24. π. de prob. et praef. Ait: *Si chirographum cancellatum fuerit, licet praesumptione debitor liberatus esse videatur, in eam tamen quantitatem, quam manifestis probationibus creditor sibi adhuc deberi ostenderit, recte debitor conuenitur.*

Clara haec, nec egent interprete.

T A N T V M.



ULB Halle
003 594 440

3



Sb

B.I.G.



94
SPECIMEN 1769, 14.
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
AN
CHIROGRAPHVM CAN-
CELLATVM
INDVCAT
DEBITI REMISSIONEM
P. 3.13.
QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAE SIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.
SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XX. MARTII ANNO CIOIOCCXLXVIII.
PVBLICE DEFENDET
CHRISTIANVS GOTTLIEB HVHN
GRIMMENS.

LIPSIAE
LITERIS RUMPFIIS.

